





1732/136 14  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA,

37.

DE  
**DVARVM VEL PLVRIVM  
IVRISDICTIONVM  
IN VNA EADEMQUE CAVSA  
CONFLICTV,**

S V B P R A E S I D I O  
**DN. TOBIAE IAC. REINHARTHI,**

TVNCE ICTI ERFORD. COM. PALAT. CAES. PROF. P. O. ETC.  
POSTEA VERO

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE  
REG. ET PRINCIP. ELECT. BRVNSVIGO-LVNEB. CONSIL.  
AVL. FAC. IVR. APVD GOETTING. ORD. ET P. P.

PRO

**GRADV DOCTORALI**

LEGITIME CONSEQUENDO,

DIE XXXI. IAN. A. M DCC XXXII.

H A B V T

**IOANNES ROCKENTHIEN,**

LONGOSALISS. THVRING.




NVNCE VERO, VT DESIDERIIS MVLTORVM SATISFIERET,



I E N A E,

REC. LITTERIS JO. BERNH. HELLERI, 1748.





I. N. D. N. I. C.

## C O N S P E C T V S .

§. I. Jurisdictionis Germanicae doctrina tam  
intricata quam incerta est. §. II. Nimia Specie-  
rum Jurisdictionis multitudo varios peperit Juris-  
dictionum conflictus, unde Thema Dissertationis ex-  
ortum. §. III. Conflictus Jurisdictionum varie  
contingit. §. IV. Traditus Generalis de conflictu  
Regula. §. V. Due Jurisdictiones in una causa  
concurrentes, una alteram vincit præventione, cu-  
jus recensetur PRIMVM requisitum. §. VI. Quod  
illustratur (1.) exemplo conflictus jurisdictionis Pa-  
trimonialis, inferioris cum jurisdictione Principis  
superiore. §. VII. (2.) exemplo conflictus judicis  
ordinarii cum arbitro compromissario. §. VIII.  
Respondetur objectionibus REGNERI, STRICKII  
& CARPOVII. §. IX. SECUNDVM traditur re-  
quisitum præventionis. §. X. TERTIVM requisi-  
tum.

A 2

§. XI.

§. XI. Præventionis absque citatione legali ejusque insinuatione in conflictu Jurisdictionis nihil operatur.  
§. XII. Sed ab ipso momento factæ insinuationis effectum præventionis secum trahit, etiam in summis imperii tribunalibus. §. XIII. Effectus Præventionis impeditur, tam per citationem defectuosam, quam per contumacem Termini circumductionem.  
§. XIV. Libelli oblatio præventionem & Jurisdictionum consolidationem non operatur, Exceptio, in l. i. Cod. quando Libellus Principi datus. §. XV. Nec Rescriptum Principis. Bene tamen Monitorium. §. XVI. Conflictus Jurisdictionis Ecclesiastica & Secularis in causis mixtifori. §. XVII. Causæ mixtifori ex doctrina Juris Canonici recensentur. §. XVIII. Quæ examinantur juxta doctrinam Protestantum, secundum quam præventionem inter judices concurrentes non operantur. §. XIX. Causæ miserabilium Personarum non sunt mixti, sed privilegiati fori, nec usurarii contractus cognitio ad judicem ecclesiasticum spectat. §. XX. Nec possessorum causarum mere ecclesiasticarum mixti fori est, sed secularis. §. XXI. Controversia circa sepulturam, an mixti forisent? §. XXII. Quid de delictis statuendum & speciatim de delictis carnis in foris Protestantum? §. XXIII. Quid de conflictu Juris-

55

*Jurisdictionis Academicae & civicae ratione bonorum immobilium dicendum? §. XXIV. Rectori & Senatui Academicu Jurisdictio in personas & bona civium academicorum mobilia & immobilia nec non jus dandi & confirmandi tutores competit.*  
*§. XXV. & XXVI. Probatur perrationes. §. XXVII. Si academicus fiat civis oppidanus, Jurisdictioni academicæ in totum non eximitur, nisi foro academico expresse & in totum renuncia verit. §. XXVIII. Objectionibus reliquis occurritur remissive ad BRUNNEMANNI consilium ante penultimum, in quo ex instituto Jurisdictionis Academica realis propugnat, Conclusio.*

§. I.



ulla magis JCtorum ingenia etiamnum torquet hodie, ac quæ de Jurisdictione in foris & scholis Germaniæ occurrit, quæstio. Cave enim existimes, omnes difficultatum scopulos ex eo fuisse superatos, quod solidiores nostri ævi Doctores hodiernas de Jurisdictione controversias ex solis Juris Romani placitis atque

A 3

prin-

principiis componere & decidere sapienter desierint, atque adeo GEORGII OBRECHTI sententiæ nuntium recte mittere coeperint, qui *Dissert. de Jurisdictione th. 70. in materia Jurisdictionis à Jure Romano pesime recedi*, tam superstitione credidit, quam male, &c, ne quid gravius dicam, inepte docuit. Nam qui immensas fere Jurisdictionum multiplicationes & diversissimas species ipsis Romanis incognitas, sed Germaniæ moribus vel ad inventas, vel alteratas, quas non pro singularum Germaniæ Provinciarum tantum & Civitatum, sed non paucorum quoque pagorum numero reperire loceperit, paullo contemplabitur attentius, præterea animadvertiset, consuetudines & obseruantias, ex quibus maximam partem, quæ de Jurisdictione suboriuntur controversiæ, dijudicari debent & aestimari, ob locorum varietates tam esse diversas, quam incertas, & non raro probatu difficultimas, plena protinus manu nobis largietur, à tramite veri neque aberrasse CARPZOVIVM neque ADAMVM KELLERVUM, quorum ille *Pr. Crimin. qu. 109. n. 14.* ingenue faslus est: *Hodiernis moribus Jurisdictionis materiam non minus quam Iure veteri Civili Romano versari in pelago;* Hic vero *L. 2. c. 12. de Offic. Iurid. Polit.* sine fuso asseruit:

Tam

Tam in certas hodie de Iurisdictione esse opiniones, & varias consuetudines & observantias, ut in hisce maxime necessaria fore certa quædam pragmatica sanctio & Imperii Constitutio.

§. II. Cum itaque ex tanta doctrinæ difficultate, & incertitudine, quam nimia specierum diversarum multitudo peperit, gravissimas in nullis Europæ magis ac Germaniæ tribunalibus, super competentia, & concursu diversarum Jurisdictionum in una sœpe eademque causa subortas esse concertationes, optime observaverit STRYCKIVS in Uf. Mod. ff. L. 2. t. 1. §. 1. Siquidem, experientia quotidiana teste, Jurisdictionem allodialem cum feudalî, ecclesiasticam cum seculari, criminalem sive superiorem cum civili sive inferiore, militarem cum togata, Academicam cum Civica, universalem cum particulari sive circumsepta, immo, patrimonialem cum personali sive administratoria, in una eademque causa sœpe collidere & confligere cernimus; Hinc eadem ratione, qua non ita quidem in Perantiqua hac Academia de collisione, seu conflictu, qui inter Jurisdictionem allodialem & feudalem ratione controversiarum circa feudum existentium, in foris occurrit, in Dissertatione Inaugurali sub Praedio Domini Praeditis An-

no

no M D CC XXX. d. 26. Jan. jam tum actum, de  
quarundam quoque aliarum diversarum Jurisdi-  
ctionum conflictu loco Speciminis Inauguralis  
impræsentiarum tractandum statui; intra brevi-  
tatis limites ita versaturus, ut præmissis quibusdam  
circa Jurisdictionis conflictum generalioribus præ-  
cipuas quasdam Jurisdictionis e. g. ecclesiasticæ ac  
secularis, nec non Academicæ & Civicæ, item Ci-  
vilis & Criminalis collisiones in medium produ-  
cam, reliquas alii occasione deducendas relin-  
quens.

§. III. Non una vero & simplici ratione  
Jurisdictionum conflictus contingere solet, siqui-  
dem vel ita comparatus, ut ratione causæ contro-  
versæ una ex jurisdictionibus confligentibus, sit  
fundata & competens, altera non fundata & in-  
competens, vel utraque simul fundata & compe-  
tens; *Priori casu* conflictus ex parte non fundatæ  
& incompetenter est injustus, ac competens & fun-  
data Jurisdictio incompetentem statim profligat  
dispellitque non immerito, ita, ut illa, hac exclu-  
sa, privative etiam *citra preventionem* locum sibi  
vindicet. At *Posteriori casu* conflictus ex neutra  
parte injustus est, sed utraque in juri dicundo in a-  
ctu quidem, ut scholæ loquuntur, primo seu signa-  
to

to concurrit, sed in actu secundo & exercito una alteram p̄̄ventionē demum removet.

§. IV. Hoc ipsum, ut paullo clarius & perspicacius effareretur, & intelligatur, fundamenti loco sequentem ponere juvabit regulam, ex qua non paucæ deduci conclusiones poterunt, quæ decisio- ni eorum, quæ de Jurisdictionum conflictu in sub- sequentibus exemplis in medium producentur, quodammodo inferuent. Scilicet : *Quoties- canque duo vel plures diversi judices existunt, quo- rum unicuique per se & in solidum circa unam ean- demque causam, de qua controvertitur, vere funda- ta jurisdictione competit, toties in conflictu legitime p̄̄veniens in juri dicundo profligat removetque p̄̄ventum.* Veritas hujus regulæ magis in aprico est, quam ut prolixiore demonstratione indigeat. Præterquam enim, quod expressis fundata sit Ju- ris Civilis & Canonici textibus in L. 19. ff. de Ju- risd. L. 7. ff. de Ind. L. 5. C. qui accusare non possunt, & Cap. 19. X. de foro compet. satis constat, per p̄̄ventionem præoccupari Jurisdictionem judicis electi ; jam vero proprium esse præoccupantis in quacunque materia, ut in pari causa jus potius ei competat CARPZ. in Proc. T. 9. A. 3. n. 8. seqq. De- inde ipsa æquitatis naturalis dictat ratio, ne Reus

B

super

super una eademque causa duobus in judiciis duplícem sustinere cogatur litem, dupli molestia fatigari, sumptusque & expensas cum insigni rei familiaris detimento multiplicare debeat, adeoque si à priori sponte recedere nolit, actor in judice illo, quem semel elegit, acquiescere teneatur ; Quid enim, si securus fieret, aliud contingeret, quam ut aetori consilium tam in Rei, quam Judicis præjudicium, immutare permetteretur, contra L. 75. ff. de Reg. Iur. quippe non tantum partium litigantium, sed quoque Judicis quam maxime interest : Jurisdictionem inter litigantes in causa intentata consolidare, suamque Jurisdictionem semel electam & approbatam tueri & defendere. ZANGER. de Except. P. 2. Cap. 2. n. 32. ZAVNSCHLIFFER. de Offic. Iud. Suppletor. P. 2. Concl. XI. §. 2. n. 3. p. 79.

§. V. Sed putare noli, Jurisdictionem prævenientem in conflictu semper & indistincte profligare Jurisdictionem concurrentem præventam ; Nam juxta regulam §. præcedenti, propositam sigillatum requiritur : (I.) ut unicuique ex concurrentibus judicibus circa unam eandemque causam, de qua controvertitur, vere fundata Injunctione competat. Unde consequitur : Præventionem judicii prævenienti in conflictu prodesse ne quicquam,

nec

nec præventam removeri, si præveniens ratione  
causæ controversæ jurisdictione vere fundata non  
gauder, sed plane incompetens est; Neque etiam  
Reus ad declinandum forum judicis præventi ex-  
ceptione præventionis ita audiendus, siquidem pro  
Regula tenendum: Quod coram Judice incom-  
petente nunquam inducatur præventio. CARPOV.  
in Proc. Tit. IX. Art. III. n. 13. seqq. MEV. P. 1. Dec.  
144. § 232. it. P. 5. Dec. 123. num. 1. § 2. LAVTER-  
BACH. Colleg. Pract. L. 44. t. 1. §. 20. Ratio hujus  
rei est, quod iudex incompetens pro privato ha-  
beatur, neque lis coram eo existere possit, sed om-  
nia gesta nulla dicantur, arg. L. 3. ff. de Off. Präsid.  
L. 1. § 2. ff. de Offic. Procons. L. ult. ff. de Offic. Präf.  
urb. ac per conlequens neque litis præventio oiri  
possit; cum negata causa negari quoque effectus  
debeat.

§. VI. Exemplo uno vel altero res fiat cla-  
rior: Sic in conflictu Jurisdictionis patrimonialis,  
nobili e. g. in pago concessæ, cum jurisdictione  
Superiore Principis hæc neutiquam tollit illam  
protinus, in casu, quo actor Reum, omissa prima  
nobilis Instantia coram ipsius Principis Regimine  
convenire præsumbit; Quin potius si nobilis, tan-  
quam primæ Instantiæ Judex seu inferior Reum, ut

coram se compareat, citaverit, de causa, cuius intuitu ejus Jurisdictione fundata est, responsurus, hic exceptione: Jurisdictionem superioris esse praeventam, non est audiendus, quia iudex superior respectu Jurisdictionis inferioris nobili privative vel potius subordinate concessa, haec tenus est incompetens. *L. 2. §. 3. & 5. ff. de Iudic.* ac satis constat, causam ad superiorem in praejudicium inferioris protinus devolvi non posuisse, nisi per Remedium appellationis, denegatae Justitiae, & quae sunt cœtera, prout optime ex NICOL. REVSNERO *L. 4. Dec. 21. n. 28.* observavit ZANGERVS de Except. *P. 2. Cap. 3. n. 12.*

§. VII. Ad eundem quoque modum apposite decisum legimus à ICto PAVLO, quod licet Reus ad arbitrum ad instantiam actoris ex compromiso fuerit vocatus, tamen actor prohiberi non possit, causam de qua controversum est, in judicium & forum ordinarium deducere, *L. si quis rem 30. ff. de recept. qui arbitr.* Neque locus erit exceptioni Praeventio*nis ad hoc, ut in conflictu Iudicis ordinarii cum arbitro compromissario Reus Jurisdictioni ordinariae se subducere queat.* Nam diserte VLPIANVS in *L. 2. ff. de Recept. qui arbitr.* nos condocet, *quod ex compromisso exceptio non*

B 3

non nascatur, sed pœna petitio. Non aliam heic  
JCTus Exceptionem, quam compromissi, ac con-  
sequenter Præventionis, & Litispendentiae intelli-  
git, quam ex compromisso partibus competere  
negat, quippe quæ posteriores Exceptiones judi-  
cium formatum & Jurisdictionis competentiam  
supponunt, quæ in arbitris compromissariis defi-  
cit. LAVTERBACH. *Dissert. Acad. de Arbitr. Com-  
prom.* §. 41. n. 3. Idemque in Praxi obtinere no-  
bis quidem indubitatum est ex his, quæ leguntur a-  
pud GAILIVM L. 1. Obs. 141. n. 3. & RICHTERVM  
P. 1. Conf. 64. n. 18. Quod si vero fortasse nobis  
objicies, arbitria ad instar judiciorum dici redacta  
in L. 1. ff. de Recept. qui arbitrium & L. 14. C. de Iu-  
dic. imo arbitros compromissarios appellari in  
ipsis Iuris textibus Indices L. 5. §. 1. C. de Recept. ar-  
bitr. L. f. C. ubi & apud quem &c. ac consequenter  
litem veram coram arbitris ventilari, adeoque  
præventionem operari, facilis erit responsio: scilicet  
eiusmodi appellationem analogicam tantum  
esse & impropriam, neutiquam veram & propri-  
am, ac ita disceptationem partium nec litem, nec  
arbitri decisum sententiam dici, multo minus ju-  
dicatum operari posse & præventionem, ad hoc,

ut pér conflictum suspendatur, vel tollatur interea ordinarii judicis Iurisdictio.

§. VIII. Nec moramur porro objectioni, quam facit CYPRIAN. REGNER. *Cens. Berg. ad L. supra allegatam 30. ff. de receptis, qui arbitr. & GROENEWEGIVS de LL. abrogat. ad d. L. 30.* Moribus scil. hanc Legem esse abrogatam, & alterum, altero invito, non posse resilire à compromisso, nisi expresse ita convenerit, ut soluta pena resilire licet, sed actorem, missò arbitro, in judicio contendere volentem, exceptione compromissi repelliri posse, quod ultimum de praxi quoque testatum ivere CARPOVIVS P. 1. C. 1. def. 16. & STRICK. Uf. mod. ff. L. 4. t. 8. §. 8. Nam sufficere nobis potest, praesudatum STRICKIVM cit. loco ipsum fatei, Exceptionem litis pendientiae ac consequenter Præventionis nec hodie ex compromisso competere, ac adeo Iurisdictionem Iudicis ordinarii nec suspendi nec profligari, in conflictu cum arbitro. Econtra quod idem porro ibidem adstruit, partibus adjudicium, missò arbitro, convolare volentibus exceptionem pacti de expectando & stando arbitrio omnino obstat, nobis non officit, cum inde hoc saltem sequatur: Hodie ejusmodi compromissum pacto simplici citra penas adjecti onem

onem inter partes innitum, esse quidem obligatorium, sed hoc non eo effectu intelligendum, ut pars invita altera arbitro nuntium mittere, ac judicem ordinarium plane adire tie queant, quin potius hoc effectu, ut penitens alteri parti id quod interest, à Compromisso non fuisse recessum, præstare ac propterea coram judice ordinario conveniri queat. Compromittentes enim ex pacto obligantur sibi met invicem ad factum, ac per consequens præstanto interesse liberantur. arg. L. 6. C. de Rescind. Vend. L. 3. §. 1. ff. de re iudic.

§. IX. Porro (II.) in regula §. IV. allata requisivimus, ad hoc, ut per praeventiōēm judicis proventi iurisdictio in conflictu à praeveniente consolidetur, ut utriusque iurisdictio ex una eademque causa controversia competat. Quod si ergo iudex praeveniens e.g. ratione personae vel rei sitae sit quidem competens, sed ratione causae, de qua controvertitur, sit incompetens, praeventio in conflictu, iurisdictioni illius, qui praeventus est, non nocet, nec Reo praeventiōēs exceptionem tribuit. Hoc ipsum in allodialis & feudalīs Jurisdictionis conflictu manifestum est. Fac enim, Meviūni convenire Sempronium Vasallum, qui feudum nexus quidem feudali Saxonico affectum,  
sed

sed in territorio Moguntino situm, possidet, *ratiōne causae feudalis* coram judice Moguntino ordinario rei sitae vel domicilii, certe per præventionem tali casu Jurisdictio Saxonica Domini directi feudalis consolidata vel profligata dici non potest, cum Judex Moguntinus ordinarius, utut ratione rei sitae vel domicilii Vasalli sit competens, ratione tamen ipsius causae feudalis est incompetens. Sic si vice versa Mevius eundem Vatallum Sempronium ratione causae cuiusdam non feudalis sed allodialis coram curia feudali Saxonica in item vocasset, nec judicis ordinarii Moguntini Jurisdictio præventa & per consolidationem elisa censenda est, cum judex feudal Saxonius ratione causae non feudal, ob quam Sempronius fuit Conventus, omnino sit incompetens, de qua ex instituto, ne actum agamus, videri potest Dissert. supra allegata de *Conflictu Iurisdict. feudal.* & *allodial.* per totum. Pari quoque ratione judex secularis intuitu *causae mere* & *per se ecclesiasticæ præveniens*, jurisdictionem judicis ecclesiastici intervertere non posse, manifestum est, de quo infra pluribus agemus.

§. X. Verum enim vero sola Jurisdictionis competentia, ad obtinendum effectum præven-

ventionis & Consolidationis diversarum Jurisdictionum collidentium, non sufficit, quin quoque (III.) requiritur: ut unicuique ex duobus vel pluribus Judicibus confligentibus eadem Jurisdictione per se & in solidum competit. Plane, si plures *ut universisque simul & conjunctim* Jurisdictionem habent, præveniens Jurisdictionem cœterorum per consolidationem sibi soli in causa vindicare non potest, nec Reus admittendus est, si opponere velit, Jurisdictionem unius esse præventam, quin potius omnes & singuli, qui de Jurisdictione communii participant, una & simul adesse & judicare debent, quod si fieret secus, nullitas ex defectu Jurisdictionis produceretur insanabilis, per Cap. Prudentium 21. ibique Dd. X. de Offic. delegat. VANTIVS de Nullitat. tit. de Nullitate ex def. Jurisd. n. 176. ZANGER. de Except. P. 2. Cap. 3. n. II.

§. XI. *Prævention* itaque requisitis antea recensitis concurrentibus, regulariter efficit, ut jurisdictiones collidentes una alteram in conflitu tollat atque profliget. Verum præventionem ipsam legitime inductam esse oportet, id quod per Citationem legaliter & omnibus numeris perfecte conceptam, emissam & insinuatam recte fieri dicitur, teste GAILIO L. 1. Obj. 11. n. 1. & Obj. 29.

C

n. 5.

n. 5. nec non ZANGER O de Except. P. 2. Cap. 3. n. 14.  
 & CARPOVIO ad Proc. Tit. IX. Art. III. num. 44.  
 per Cap. Proposuiti 19. de for. Comp. & Clement.  
 fin. ut lit. pendent. juncta L. 7. ff. dejud. Neque ad  
 effectum præventionis referre potest, quali Cita-  
 tione scil. peremptoria vel dilatoria, reali, an ver-  
 bali, vel ad domum, vel per edictum Jurisdictio  
 præveniatur; Modo verbalis quæ vel ad domum  
 vel per dictum fit, legitime ad notitiam citati, re-  
 apte pervenerit, eodem docente ZANGER O cit. loc.  
 & tr. n. 19. & 20. adeoque verbalem vel dilatoriam  
 priorem, reali vel peremptoriæ posteriori præfe-  
 rendam, atque posterioris judicis citantis jurisdi-  
 ctionem præventam esse, merito afferimus; Ne-  
 que enim Citatio realis posterior, quæ Captura  
 Rei peragitur, præjudicare potest Jurisdictioni al-  
 terius judicis, qui per citationem anteriorem ver-  
 balem Iurisdictionem alterius concurrentem præ-  
 veniendo jam tum consolidavit, & præoccupan-  
 do removit; & recte observarunt GLOSSATORES  
 ad Cap. cum duobus. vers. si non appareat extr. de  
 Rescript. in 6. fundari ejusmodi præventionem et  
 iam per unius horæ imo momenti spatiū. Nam  
 prævenire in materia Iurisdictionis nihil est aliud,  
 quam præoccupare Iurisdictionis exercitium, quæ  
 plu-

pluribus competere poterat, sumta Metaphora  
à pluribus ad eundem locum tendentibus, quos  
qui antevertit prævenisse dicitur, L. 1. §. 1. ff. de in  
rem verso L. 7. ff. de judic. At quis negabit, præ-  
occupationem unico etiam momento fieri posse,  
adeoque primo occupanti locum esse conceden-  
dum? Cap. 5. X. de Rescript.

§. XII. Fac ergo, utramque partem à Iu-  
dicio Status Imperii appellasse in eadem causa ad  
Summa Imperii tribunalia, & auctorem in Came-  
ra Imperiali prius impetrasse Citationem. Reum  
vero tardius in aula Caesarea impetratam Citatio-  
nem citius insinuari curasse, certe non Camerae  
Imperialis, sed judicii aulici Iurisdictio erit compe-  
tens, altera vero præoccupata & consolidata cen-  
fenda. BLVM. Cam. tit. 25. n. 56. VFFENBACH. de  
Judicio aulico Cap. 12. Sect. 1. subsect. 3. pag. 155.  
Citationis enim insinuatæ tempus, ejusve momen-  
tum utramque paginam facit in prævenienda seu  
præoccupanda concurrente Jurisdictione. Sed  
finge porro, Citationes unius rei causa à duobus  
vel pluribus judicibus concurrentem Jurisdictionem  
habentibus eodem tempore fuisse insinuatas,  
& utrumque judicem vel utramque partem de  
præventione inter se altercari & contendere, tali

casu partibus neutiquam electionem indulgendam, sed sorte rem decernendam esse tradit ZANGER. de Except. P. 2. Cap. 3. de Except. n. 32. arg. L. sed cum ambo 14. ff. de judiciis.

§. XIII. Quemadmodum autem econtra-  
rio Citationis quilibet defectus, qui vel in concep-  
tione vel insinuatione sese exerit, omnem præven-  
tionis effectum plane destruit & impedit, CARPZ.  
Proc. Tit. IX. Art. III. num. 52. § 53. Ita quoque  
idein toties contingit, quoties citatione quidem  
omni numero perfecta & ad instantiam actoris le-  
gitime insinuata tam Actor quam Reus non com-  
paruerint, ac ita terminum præfixum & Citatio-  
nem per contumaciam circumduixerint, GAIL. L.  
1. Obs. 59. n. 1. BERNHARD. GRAEV. L. 1. Concl. 59.  
num. 1. Citatio enim circumducta habetur pro  
nulla, à qua uterque litigans non comparendo de-  
stituisse censetur, L. Properandum §. 1. C. de Jud.  
Atqui ubi nulla Citatio, ibi nulla inter concurren-  
tes judices competentes præventio, arg. Cap. pro-  
posuisti 19. X. de foro compet. quin potius juxta L.  
Et post editum §. 2. ff. de Judic. tali Casu ex integro  
de novo litigandum. Sed quid si non uterque li-  
tigantium simul, sed vel Actor solus Reo compa-  
rente, vel Actore comparente solus Reus in termino  
eman-

emanferit? Tali casu nec terminus nec citatio pro circumducta habetur, consequenter Præventionem omnino inductam manere, ex latis prægnantibus rationibus evictum dedit CARPZO VIVS in Pr. Tit. 9. Art. 3. n. 64. usque 73. ad quem me remitto; utut paulo aliter in casu, quo Reus contumax emanfit, sentire videatur ZANGERVS de Exc. P. 2. C. 3. n. 18.

§. XIV. Ex quo itaque sola Citatione legitime insinuata induci præventionem, ac judicis præventi jurisdictionem consolidari supra adstruxi, consequitur: *Libelli solam oblationem* talem effectum regulariter non producere. CARPZ. L. 2. Resp. 46. & in Proc. Tit. IX. Art. III. n. 22. COTHMANN. Vol. 3. Resp. 3. n. 27. Exceptionem notabillem communiter tradunt Doctores in casu, quo Libellus ipsi Summo Principi s. Imperatori est oblatus, propter L. 1. C. *Quando Libell. Principi datum Litis Contestationem faciat*, ubi ARCADIVS & HONORIVS IMP. Remigio Praefecto Prætorio ita rescripserunt: *Dubium non est, Contestationem litis intelligi, etiam si nostræ Tranquillitati preces oblate, easque adversus heredem quoque ejus, in quem porrecte sunt, vel ab herede ejus, qui meruit exerceri.* In quo textu oblationi Libelli Summo Principi s. Imperatori factæ effectum Litis contestatio-

nis adscriptum legimus; Jam vero, ubi adest Litis Contestatio, ibi quoque præventionio, cum à Litis Contestatione ipsum judicium incipere dicatur L. un. C. de Litis Contest. L. 25. ff. de Rei Vind. insuper etiam per Litis Contestationem quasi contrahatur. L. 3. §. 11. ff. de Pecul. Quod ipsum ad Summa Imperii tribunalia puta, Judicium aulicum Cæsareum & Camerale ita extendere solent Doctores communiter, ut solam libelli obligationem, si Decretum licet denegatorium, desuper accesserit, litis præventionem & pendentiam, consequenter Jurisdictionis alias concurrentis consolidationem producere autem, cum ipsum Imperatorem prælaudata tribunalia repræalentent. In Praxi non minus hanc sententiam obtinere, Præjudicia utriusque illustrissimi Collegiis satis quidem indicare videntur, quæ allegant LAVTERBACH. Colleg. Pr. L. 44. t. 1. §. 22. & CARPZOVIVS ad Proc. Tit. IX. Art. III. n. 29. seqq. idem quoque statuente MEVIO P. 1. Dec. 233. n. 3. Sed Contrarium & quod Libellus Imperatori oblatus s. Tribunalibus Imperii cum inserto decreto præventionem neutram inducat, ex instituto sustinuit JCtus KRAVSIVS in Dissertatione, quam sub Præsidio Illustr. Dn. de WERNHER. Anno 1706. addit. L. 1. C. Quan-  
do

do libell. principi datus &c. Vitebergæ habuit, quamque integrum in observationibus suis in Suppl. novis ad Part. i. Obs. 145. Vol. 7. inferuit, §. 30. cui ex rationibus ibidem adductis, in puncto juris, abstrahendo à Praxi contraria, merito calculum nostrum adjicimus.

§. XV. Quemadmodum vero ad judicia Statuum utut suprema, puta Regiminis, Consistoria, vel Curias provinciales Praxin supra allegatam, solis Libelli oblationibus effectum Præventæ Jurisdictionis tribuentem variii Doctores nolunt extensam, vid. LAVTERBACH. cit. *supraloco*. Ita nudis Principis, vel prælaudatorum summorum collegiorum Rescriptis vel literis mere informatiis, in Saxonia Electorali talem effectum multo magis recte deniegavit CARPZOVIVS ad Proc. cit. supra Art. 3. tit. 9. n. 40. nisi simul vim Monitorii habeant, hoc est: nisi inhibitionem aut mandatum contineant, ac parti rite insinuata fuerint. IDEM cit. locon. 54. seqq. quod sicut in ORDINAT. PROC. RECOGN. Tit. 1. §. 7. inf. expresse confirmatum: Und sollen vergleichene Monitoria, wenn sie einmahl richtig insinuaret warden, denn effectum præventionis & Litis pendentia ohne Unterschied haben, quo ipso illustris BERGERI sententia rejecta fuit,

fuit, qua secundum regulam & rationes juris Curiarum Provincialium Saxoniarum Electoralium Monitoriis effectum præventionis contra CARPOZIVM L. 2. Resp. 46. n. 25. & WERNHERVM Obs. 268. P. VI, concedere noluit in Elect. Disc. for. P. 2. suppl. p. 1758. & Oecon. p. 995. Not. 2. Ita ejusmodi Monitoria Judicium inferiorum Saxoniorum eodem effectu Præventionis non gaudere, idem BERGERVS Oecon. cit. loc. & WERNHER. Vol. VII. suppl. ad P. 6. Obs. 268. p. 654. recte iverunt, adstructum, ubi legi possunt præjudicia.

§. XVI. Quibus præmissis, exempla quædam duarum vel plurium Jurisdictionum inter se collidentium & confligentium, in medium nunc producenda veniunt. Sicut autem (1) inter Jurisdictionem ecclesiasticam & secularem, deinde (2) inter Jurisdictionem Academicam & Civicam, & (3) inter Jurisdictionem Civilem & Criminalem in foris non raro occurrere collisiones, solere supra dixi; ita conflictus, inter Secularem & Ecclesiasticam Jurisdictionem, ratione causarum, quæ mixti fori dicuntur CANONISTIS, sœpe numero suboriri aslolet. Appellantur autem Causæ mixtifori illæ, quarum cognitio & decisio Judici seculari æque ac ecclesiastico in solidum competit;

con-

consequenter juxta Regulam supra §. IV. proposi-  
tam ita videntur comparatae, ut per præventionem  
una jurisdictio profliget & elidat alteram. *Cap. 19.*  
*extra de for. comp.*

§. XVII. Non exiguum autem ejusmodi  
causarum mixti fori CANONISTÆ efformant Ca-  
talogum. Referunt enim ad eas varias res ac ne-  
gotia tam licita quam illicita, utpote sunt (1.) cau-  
sa miserabilitum personarum, viduarum, pupillo-  
rum, orphanorum, propter textus in *Cap. 26. X.*  
*de Verb. Signif. in f. & Cap. 15. X. de for. comp. FE-*  
*LICIANVS DE OLIVA P. 3. de for. eccl. qu. 40. n.*  
27. (2) Contractus laicorum usurarii vel jura-  
mento corroborati. (3) Causæ sua natura ecclæ-  
siasticæ, quatenus de facto saltem possessionis con-  
trovertitur, & Reus est Laicus, non Clericus, v. g.  
si Laicus in possessorio ratione Juris Patronatus re-  
alis vel *Decimarum laicalium* conveniendus. (4)  
Causa sepulturæ, quatenus de solo facto, v. g. an  
Titius Cajo promiserit his sepulturæ vel non, item  
de Expensis funeralibus, quæstio venti lætus, (5)  
testamenta laicorum ad pias causas, (6) causa do-  
tis non incidenter cum causa ipsa matrimonii, sed  
principaliter mota, & in litem deducta, (7) varia  
delicta, non tantum ea, quæ *Carnis* dicuntur ad

D unum

unum omnia, v. g. adulterium, incestus, Sodomia,  
*Polygamia, Concubinatus, Stuprum, Fornicatio,*  
*reliqua, TONDVT. de Prævent. Jurisd. P. II. c. 28.*  
*sed quoque illa, quæ quodammodo respectum ad*  
*religionem & cultum divinum habere videntur,*  
*v. g. turbatio sacrorum, violatio festorum, blas-*  
*phemia, si hæc non involvat hæresin, Magia, In-*  
*cantatio, sacrilegium, perjurium, falsum, cætera,*  
*vid. d. STRIMPERI *Dissert. Inaug. de Jurisd. eccles.**  
*& seculari in causis mixti fori concurrente, Anno*  
*1721. habita.*

§. XVIII. Ut ut autem suppositis modo  
 recensitis mixti fori causis nullum dubium, quin  
 judex secularis qui prævenit ecclesiasticum, vel  
 ecclesiasticus qui prævenit secularē in causa  
 præventa solus Judex fiat maneatque competens,  
 ita quidem, ut in conflictu præventum repellat,  
 ac, ne in juridicundo sese ulterius immisceat,  
 impedire queat, d. STRIMPER cit. *Dissert. cap.*  
*IV. §. 2.* Longe tamen aliter in foris Protes-  
 tantium rem sese habere, ac de ejusmodi *mixti fori*  
*causis sentiri soleat & debere paucissimas*  
*que supra recensitas causarum species mixti fori,*  
*quin potius plurimas earum, vel mere secu-*  
*lares vel mere ecclesiasticas esse, adeoque Juris-*  
*dictione-*

ditionis præventionem inter utrumque Judicem  
confligentem vix esse admittendam, apparebit ex  
sequentibus.

§. XIX. Quod enim (1) *causas miserabilium personarum* attinet, mihi quidem non incognitum: SCHILTERVM L. I. Inf. Jur. Can. t. 5. §. 10. illas ad mixti fori causas quoque retulisse, inde que originem *denunciationis* sic dictæ *Evangelice* derivasse; Sed uti Praxis Protestantium judiciorum quotidiana huic sententiæ aperte repugnat, ita Excell. Dn. BÖHMERVS eidem recte notam dicit, atque hujusmodi personas, qua tales, forum tantum privilegiatum ex L. un. C. quando Imp. inter papill. & vid. ac consequenter merum seculare contra concussum judicis ecclesiastici sortiri adstruxit in Jur. eccl. L. 2. t. 2 §. 33. inf. vid. HORNIUS in Not. ad supra citatum locum Schilteri p. 62. Ut jam tacet, ipsum Pontificem in Cap. II. X. de foro competente prohibuisse videri, judicibus ecclesiasticis cognitionem causarum prædictarum in Regula, & saltem casum *denegata vel protracta à Judice seculari justitia excepta*. Sic quoque cur ad (2) in *ius furiorum* *Contra Iuum cognitione* judicia Protestantium ecclesiastica cum seculari concurrere possint & debeant, solida vix appetat ratio. Nec ar-

gumentum, quod ius sit WEBERVS de Jur. Confst.  
**C. 27. Sect. 19.** est sufficiens. Transeat enim in sa-  
 cris de iis contractibus suisse dispositum; Nam in-  
 de protinus non sequitur, judicem ecclesiasticum  
 cognitionem ad se trahere posse. Nam docente  
 eodem Excell. BÖHNERO cit. tr. §.34. Communia  
 etiam Juris Naturæ principia ibidem traduntur,  
 imo & homicidis dolosis poena mortis dictata re-  
 peritur, de quibus rebus omnibus tamen capropter  
 in Consistoriis agi cognoscique non posse, a-  
 pertum est. Sic quoque poenae Canonicae in u-  
 surarios constitutae in foris protestantium cessant,  
 ac apud illa RECESSIBVS IMPERII de Anno 1501.  
 1531. & 1548. in quibus cognitio simul, ex Juris Ca-  
 nonici placitis, judicio ecclesiastico ad scripta le-  
 gitur, observantia fere communi contraria longis  
 ab hinc annis derogatum est; Quod vero causas  
 civiles juremento munitas concernit, eorum cogni-  
 tionem quoad effectum relaxandi Juramenta, hoc  
 est, de validitate earundem secundum leges cogno-  
 scendi. & si illud invalidum deprehendatur, valo-  
 rem subtrahendi, ex satis praegnantibus rationibus  
 Judici seculari privative vindicatum ivit, Idem  
 BÖHMER. cit. loc. §.30. nisi ordinatione Provinciali  
 contrarium forsan sit statutum.

§.XX.

§. XX. Ad (3) nobis non minus certissimum est: *Possessorum causarum mere ecclesiasticarum*, v. g. super decimis Parochialibus vel *Jure Patronatus &c.* mere temporale esse, adeoque judicis secularis cognitioni soli citra Concursum Judicis ecclesiastici reservatum esse, idemque de Praxi tam Catholicorum testantur, praeter ceteros, GAILIVS L. 1. Obs 38. n. 3. 4. ESPEN. P. III. jus eccl. t. 2. C. 4. n. 39. seqq. & DVARENVS L. VII. de sacr. eccl. minist. cap. 11. quam de usu & observantia Protestantium CARPZOVIVS L. 1. Jur. Conf. def. 138. n. 7. & elegans præjudicium Facult. Jurid. Hal-lens. apud BOEHMER. Jur. eccl. L. 2. t. 2. §. 21. modo Reus sit laicus, non vero persona ecclesiastica, quia tali casu, solo ecclesiastico foro erit convenientius. Id. BOEHMER. cit. loc. §. 26.

§. XXI. Controversiae circa sepulturam ad Judicii quidem ecclesiastici cognitionem privative spectant, quantum ejusdem Ritus, ceremonias, & liturgiam attinet; BOEHMER. Suppl. ad Schilt. Inst. Jur. Can. L. 2. t. 14. §. 1. p. 277. & Jur. Paroch. S. 4. C. 2. §. 1. Sed quæstiones, an funus sepieliendum? vel an honeste sepieliendum vel non, item de expensis funebribus, cognitionis mere politicae est, consequenter apud Protestantes ad magistratum

secularem simpliciter pertinet. STRICK. Us. Mod.  
ff. L. II. t. 7. §. 5. ita ut nec præventio inter utrosque  
locum habeat. Quid vero de *legatis ad pias cau-*  
*sas* in Praxi obtineat, vide apud prælaudatum Dn.  
BOEHMER. Jur. eccl. L. 2. t. 2. §. 31.

§. XXII. Supra quoque recensita *delicta*,  
quæ mixtiori esse dicuntur, in Protestantium foris  
pleraque soli Judici seculari, qui criminali Jurisdi-  
ctione pollet, subsunt, nec earum cognitio ad ec-  
clesiasticum judicem simul, quod ad pœnæ tempo-  
ralis determinationem attinet, spectat; Sic CARP-  
ZOVIVS in Praxi Criminali ex Relponso Scabino-  
rum Lipsiensium quod extat P. 3. qu. 109. n. 31. foro  
seculari Criminali, *Heresin*, *Magiam*, *Incantatio-*  
*nen*, *Blasphemiam*, *Sacrilegium*, *Adulterium*, *Stu-*  
*prum violentum*, *Incestum*, *Bigamiam* &c. expre-  
sse vindicat, nec, ut videtur, foro ecclesiastico Ju-  
risdictionem ullam concurrentem, ac per conse-  
quens Jus præveniendi indulget. Sed quemad-  
modum *Heresis* nunquam pro crimine civili, sed  
semper pro mere ecclesiastico delicto fuit habitum,  
ita ejusdem cognitio judicio ecclesiastico seu Con-  
sistoriis, testante Praxi, simpliciter non denegari,  
ac foro protinus criminali concedi potest. Sic  
quoque quoad *delicta quadam Carnis foro ecclie-*  
*sastis*

¶ 31 ¶

siastica non omni destituuntur Jurisdictione; Nam  
praxi edocemur quotidiana, quod in causa *Supri*  
*Consistoria omnino cognoscant & pronuncient,*  
si ad matrimonii consummationem ob præceden-  
tia sponsalia, vel etiam *alternative* vel ad ducen-  
dum vel dotandum, non vero ad nudam satisfaeti-  
onem privatam & partus alimentationem agatur.  
Idem quoque in causis *adulterii, malitiosa deserti-*  
*onis, insidiarum vitæ structarum, vel etiam sevitia-*  
*rum aliarum obtinet;* Nam & in his, si ad *divor-*  
*tium vel separationem quoad thorum & mensam agi-*  
*tur, Jurisdictio soli judici ecclesiastico competit,*  
cum econtra quatenus ad *pœnam, vel dotis repeti-*  
*tionem* principaliter agitur, non *Jurisdictio ecclæ-*  
*siastica, sed lecularis locum sibi vindicet.* Secus  
ergo res se habebit, si *causa dotis* cum *causa divor-*  
*tii* principali incidenter saltem, in judicium ecclesi-  
asticum ducatur, quo casu cum *causa divorpii* si-  
mul de dote *judex ecclesiasticus* pronunciare pote-  
rit; cum incompetentia judicis in quæstione inci-  
dente attendi non soleat. *STRICK. Diff. de Causa*  
*incidente cap. 3. §. 5. seqq.*

§. XXIII. Non pauca quidem de Jurisdi-  
ctionis secularis & ecclesiasticae confictu exempla  
in medium proferri adhuc possent, speciatim, quid  
de

de utriusque fori collisione, si Clericus capitaliter delinquit, obtineat? Item si duo fora ecclesiastica diversæ religionis inter se de competentia ratione conjugum, diversæ quoque religionis, collidant? Sed ob spati & temporis angustiam filum abrumpere invitus cogor, vel duobus verbis, quid de Jurisdictionis Academicæ & Civicae conflictu sentiam paucula additurus. Jurisdictionum enim non levem saepè suboriri conflictum inter eos, qui Magistratum Academicum & Civitatis gerunt, quotidiana condoceuntur experientia, ita quidem, ut Magistratus Civicus præcipue ratione bonorum immobilium à Professoribus aliisve Academicis intra Jurisdictionis Civicae limites possessorum, puta, domuum, horreorum, hortorum, agrorum & pratorum Magistratui academico deneget, sibique ita Jurisdictionem realem, exclusa penitus Jurisdictione academicæ, vindicet; præterea protestatem constituendi vel confirmandi tutores vel Curatores Academicorum ita possessionatorum liberis impuberibus vel minoribus, itemque Jus obsignandi & resignandi hereditates eorum, cum Jure conficiendi Inventaria, impertiendi Decreta Alienationis, taxationis vel subhastationis, exigendi rationes tutelares, cum reliquis omnibus Juris-

Jurisdictionis realis actibus & effectibus præterdat; Contra vero Magistratus Academicus ejusdemmodi postulatis contradicat, sibi que potius omnino modum Jurisdictionem in res & bona Academicorum & que ac personas competere urgeat.

§. XXIV. In tanto jurisdictionum conflictu, salvo quidem rectius sententium judicio Jurisdictionem academicam in personas Academicorum omnium non minus ac res eorum tam mobiles, quam immobiles satis superque fundatam esse, adeoque Rectori & Magistratu Academico in omnibus Actionibus personalibus & realibus tam in peritorio quam possessorio contra quemcunque Academæ procerem vel civem intentatis juris dicendi potestatem, excluso magistratu vel judice civico ordinario, privative competere, consequenter frustra eidem de jure constituendi vel confirmandi Tutores aut Curatores, itemque ob-signandi & resignandi hereditates, inventaria conficiendi, decreta que alienationis impertiendi, rationes tutelares exigendi & revidendi, & quæ sunt reliqua, litem moveri, ex ultimo.

§. XXV. Rationes pro hac sententia satis prostant prægnantes, quas vel Jus & Privilegium omnibus Academias commune vel cujuscunque

E

Acade-

Academiarum proprium & speciale nobis suppeditat.  
 Imprimis enim, quod Jus commune attinet, extra  
 omnem controversiam positum esse arbitror: Fa-  
 mosam illam FRIDERICI Imp. Constitutionem  
 Imperiale, qua prostat in *Authentica Habita C.*  
*Nefil. propatr.* quaque omnibus studiorum causa  
 in Universitate versantibus, tamque discentium  
 quam docentium partes sustinentibus, desoro pri-  
 vilegiato prospexit, eosque Jurisdictione ordina-  
 ria adeo indulgentissime exemit, pro Lege generali  
 juris communis vim & autoritatem habente esse  
 extimandam, consequenter Jurisdictionem, non  
 minorem & restrictiorem illa, qua tum temporis  
 Scholarum publicarum Magister, vel loci Episco-  
 pus in qualibet Scholiarij vel Professorum lite &  
 negotio ornatus, hodiernis quoque Academiarum  
 & Universitatum Rectoribus & Magistratibus  
 in Academicorum litibus & negotiis competere,  
 nisi quatenus per generales aut speciales Imperato-  
 rum vel Principum Constitutiones posteriores vel  
 Statuta illa Jurisdictione restricta vel temperata fue-  
 rit. Atqui vero (II.) certissimum est, Jurisdictionem  
 omnem, quam hodie *civilem* vocamus mix-  
 tumque Imperium in se complectitur, in causis A-  
 cademicorum *civilibus omnibus*, tam personas

quam

quam res eorum concernentibus, in ordine ad magistratum loci ordinarium, privative magistratus Academico à FRIDERICO IMP. citra ullam restrictionem vel limitationem fuisse concessam; id quod aperte satis verba dictæ Authenticæ universalia & generalia: *Si litem eis quisquam super aliquo negotio movere voluerit &c.* indicant. Cum constet Particulum aliquo vel aliquo æquipollere dictiōni quolibet, & esse Universalem complectens omnia, docente CRAVETTA Conf. 702. n. 13. TIRAVELL. in L. Si unquam C. de rev. donat. n. 43. RAVDENS. Vol. 2. Conf. I. n. 318.

§. XXVI. Nunc autem (III.) nulla plane apparet probabilis ne dum sana ratio, cur tam indulgentissima & universalia concessæ Jurisdictionis privativæ verba ad Academicorum tantum personas, contra tam apertum summi Principis intentionem, magis restringi, quam ad res quoque eorum tam mobiles, quam immobiles, ac consequenter lites tam personales quam reales extendi velint, cum tamen apertum sit: *Beneficia Principis latissime interpretanda esse ac amplianda potius quam restringenda, per L. 3. C. de Conf. Princip. præsertim cum Imperator CONSTANTINVS in L. 6. C. de Prof. & Med. privilegia Scholaribus, Doctoribus*

ribus & Professoribus quoad personas indulta, supp  
gillation quoque ad res eorum & familiam, cetera  
distinctionem, automobiles vel immobiles sint, ita  
extensa dederit, ut quoad res ipsas ab omni fun  
ctione & ab omnibus muneribus vel civilibus vel  
publicis immunes esse debeant, quid à quod ad  
judicium illos deduci, expresse noluerit.

§. XXVII. Multo minus vero solida occur  
ritratio, ex qua Magistratui Academico Jus dandi  
vel confirmandi Tutores vel Curatores Academie  
corum liberis cum directione annorum in dubi  
um vocari queat; cum in aperto positum sit, per  
hoc personis pupillorum vel minorum primario  
vel secundario prospici; Magistratui vero oppida  
no nullum jus, nullamque Jurisdictionem in Aca  
demicorum personas competere; Nunc autem  
bona dicuntur esse accessoria personis. L. in pecu  
num ff. de Usur. L. conficiuntur ff. de Codicillis & illa  
has sequi, non hæ illa. ERNEST. COTHMANN.  
Conf. 21. n. 148. HIPPOL. MARSIL. in L. f. num. 168.  
vers. 2. C. de Jurisdict. omn. jud. Recte itaque  
STRICK. in Us. Mod. ff. L. t. §. jus dandi Tutores vel  
Curatores Magistratui assertum ivit Academico.

§. XXVIII. Sed quid, si Academicus in do  
mo sua civicum exerceat quæstum & negotia,  
venit

wenn er bürgerliche Mahnung treibet, quid  
quod civis hoc fine, ut ad Jus e. g. braxandi, ad-  
mitti potuerit? factus fuerit? Neque tali casu Ju-  
risdictionem Academicam in personam & res ejus-  
modi civis in totum extingtam esse censeo. Nam  
per hoc magistratus oppidanis jurisdictionem sal-  
tem quoad Jus hoc braxandi & annexa in perso-  
nam Academicici in numerum civium oppidano-  
rum relati consequitur, ita, ut hic ejus iussu; &  
mandatis rem braxandi spectantibus parere debe-  
at, in reliquis omnibus vero Jurisdictioni Acade-  
micae subjectus maneat. Neque enim absurdum  
est, aliquem duobus foris certo respectu subjectum  
esse, iniustum econtra foret statuere: forum Op-  
pidanum absorbere Academicum magis privilegi-  
atum & dignius.

§. XXIX. Reliquis porro objectionibus  
in medium solsan proferendis facile occurri posset,  
nisi id ipsum plenissima manu in solidissimo pariter  
ac doctissimo Responso penultimo Consiliorum  
BRUNNEMANNI in causa Academiae Francofurten-  
sis, contra Senatum in terminis, ut aijunt terminan-  
tibus jam tum præstisset, ANDREAS SARTORIVS,  
Filius & Professor Francofurthensis meritissimus;  
Quare cum temporis ratione latius me jam exten-  
dere

dere prohibeatur, heic subsistere, ac quæ de *Confli-*  
*ctu Jurisdictionis Civilis cum Criminali ad-*  
*huc addenda restant, alii occasione*  
*relinquere cogor.*

SOLI DEO GLORIA.

\*\*\*\*\*

Man hat, zu Erfüllung des Platzes, so viel derselbe vergönnen will, ( Tit. ) denen Herren Liebabern mehrere Dispp. angeben, und darbey dienstlich melden wollen: Dass solche, wie gegenwärtige, ebenmässig zu Jena in der Hellerischen Buchdruckerey, ( mit einem gedruckten Catalogo, der bereits bis in das 7te Alphabet angewachsen ist, und noch viel 1000 Stücke, von allerhand in alle Facultäten einschlagende Dispp. in sich fasset, ) um billigen Preis zu haben sind, als :

Bollesii de judicij petitorij ac possessorij, uti & possessorij ordinarij ac summarij, differentia.

Birkneri de judicio tutelari perilluстр. Reipubl. Norimbergensis. Pars prior.

Bardili de competentia fori ratione contractus.

Gasseri de judicio duplice ejusque genuino conceptu.

Heumannii de judiciis communitatum.

Hildebrandi Jurisdictio universa secundum mores hodiernos compendiose considerata.

Hei-

Heineccii de origine atque indole jurisdictionis  
patrimonialis.

Linckenii de judiciis reipubl. Noribergensis.

Ludovici de judicio fortunæ.

Mylii de judiciis denunciatoriis Saxoniciis.

Spechtii de præfectis nobilium judiciis.

Smalcalderi de jurisdictione academiarum pri-  
vilegaria.

Schroeteri de competentia fori communis &  
privilegiatis.

Slevogti de foro gestæ administrationis.

Thomasi de foro clericorum protestantium;  
consistorio, non prorogabili.

Ejusdem de judicio inter parentes & liberos  
suffmario, secundum jus naturæ, civile & german.

Blesenii de jurisdictione principis regentis in fra-  
tres apanagiatos.

Franckensteinii de locatione jurisdictionis.

Pertschii de divisione operarum in determinatas  
& indeterminatas earumque exactione.

Rivini de æquali jure dominantis & servientis  
prædii, si pascua non sufficiant.

Stryckii de jure principis subterraneo.

Trierii de jure condominii.

Dietmari de judice pedaneo.

Boeh-

Bœhmeri de judice procedente ex officio in pro-  
cessu civili.

Gravii de officio judicis nobilitatis.

Keylpii de judice non judicante.

Leyseri de potestate judicis inferioris circa ap-  
pellationes.

Meieri de judice spoliatore.

Müllerii de conquiescente officio judicis.

Mylii de officio judicis & clericis in actu admo-  
nitionis de vitando perjurio eorumque honoratio-

Reinharti de judice jurisdictionem volunta-  
riam extra territorium perpetram exercente.

Glafei de jurisdictione voluntaria extra territo-  
rium non exercenda.

Schelle de auctoritate judicis in variis actibus  
privatis admibenda.

Spiesii de officio judicis.

Streckeri de iusta judicis ira.

Streitii de licto judicis favore.

Schorchii de officio judicis in imponendo jura-  
mento vel appletonio in causis in C.P.S.R. §. VI.

Ulrichii de judice & ejus officio.

Kressii de jurisdictione omnimoda formula:

Richt und Ungericht in feudum concessa.



**ULB Halle**  
005 355 680

3







DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA,

D E

DVARVM VEL PLVRIVM  
IVRISDICTIONVM  
IN VNA EADEMQUE CAVSA  
CONFLICTV,

# S V B P R A E S I D I O

DN. TOBIAE IAC. REINHARTHI,

TUNC ICTI ERFORD. COM. PALAT. CAES. PROF. P. O. ETC.

POSTE A VERO

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE  
REG. ET PRINCIP. ELECT. BRVNSVIGO - LVNEB. CONSIL.  
AVL. FAC. IVR. APVD GOETTING. ORD. ET P. P.

P R C

# GRADV DOCTORALI

## LEGITIME CONSEQUENDO

DIE XXXI. IAN. A. M DCC XXXII.

H A B V I T

## IOANNES ROCKENTHIEN,

LONGOSALISS. THVRING



NVNC VERO, VT DESIDERIIS MVLTORVM SATISFIERET,

I E N A E,  
REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI, 1748.